



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

56.
ftis dulcedinis & gaudii, origine & prin-
cipio, quod nunquam poterit exhauriri.

§. III.

OMnia omninò Christi Dei-Ho-
minis Myſteria, id eſt totam œco-
nomiam Incarnationis Paſſionis, ac Re-
ſurrectionis Verbi Dei nati de Virgine,
nec non communicationis Spiritus
Sancti, omnium donorum, ac gratia-
rum, ipſiusque glorificationis electo-
rum in ſinu Divinæ Triadis, repræſen-
tari, commemorari, extendi, & con-
ſummari per Eucharifticam liturgiam:
docent unanimiter Sancti Patres, &
intelligunt ſapienter Spirituales, qui
in ſchola Chriſti, in Eccleſiâ Dei vi-
vi, per Spiritum Sanctum, revelan-
tem humilibus corde omnem verita-
tem, perpetuò erudiuntur. Eſt ergo
Euchariftia, ſive ut maximum Sacri-
ficium Sacerdotii Æterni J E S U-
C H R I S T I, ſive ut Sacramentum
infiniti amoris, quo cùm dilexiſſet
ſuos à principio in finem dilexit eos;
ſummum myſterium, fidei orthodo-
xæ; ſpei cœleſtis, charitatis infinitæ;

& omnium mirabilium Dei omnipotentis, maximi, optimi & Dei-Hominis, sub speciebus visibilibus absconditi & exinaniti, sicut maximus in minimo: ad majorem gloriam Sanctissimæ Triadis, ad exultationem Ecclesiæ triumphantis, ad sanctificationem Ecclesiæ militantis, ad liberationem Ecclesiæ patientis in ignibus expiatoriis: ad terrorem principis tenebrarum, & ad everfionem omnium inimicorum Christiani Nominis: cùm sit Eucharistia mundi, carnis, Inferni & mortis victoria. Denique ad perfectam Deificationem electorum in Christo J E S U; in quem transformantur de die in diem per Eucharisticam, Sanctam, & quotidianam Communionem. Per hanc enim Deus-Homo, qui in se omnia continet, se totum ex toto, & in seipso omnia omnibus suis perfectissimo modo donavit: ut esset omnia in omnibus suis dilectis, per hanc admirabilem & veram suæ Divinæ Incarnationis extensionem ac communicationem.